



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De desiderio & siti animæ ad Deum, 35

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

beratis obtutibus, & in lumine tuo videam lumen. Gratias tibi ago, lux mea. Ecce video. Dilatetur obsecro visus meus Domine ex te. Revela oculos meos, ut considerem mirabilia de lege tua: qui es mirabilis in Sanctis tuis. Gratias tibi ago, lumen meum. Ecce video; sed per speculum in ænigmate. Sed quando facie ad faciem? Quando veniet dies lætitiæ & exultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei: ut videam videntem me, facie ad faciem, & satiatur desiderium meum?

C A P V T X X X V .

De desiderio & siti animæ ad Deum.

1. **Q**uemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad te Deum fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? O fons vitæ! vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta, invia & inaquosa, ut videam virtutem tuam & gloriam tuam, & satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio Domine; fons vitæ es, satia me. Sitio Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam, & apparebo Domine ante faciem tuam? Putasne videbo diem illam, diem inquam jucunditatis & lætitiæ, diem quam fecit Dominus, ut exulemus & lætemur in ea?

2. O dies præclara & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum: in qua audiam

diam vocem laudis, vocem exultationis & confessionis. In qua audiam: Intra in gaudium Domini tui. Intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui; ubi sunt magna & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiā. Vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum. Vbi erit quicquid voles, & non erit quidquid noles. Vbi erit vita vitalis dulcis, & amabilis, semperque memorialis: ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa & certa securitas, secunda tranquillitas, & tranquilla jocunditas, jocunda foelicitas, foelix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis Vnitas, & Vnitatis Deitas, & Deitatis beata visio; quæ est gaudium Domini Dei tui.

3. O gaudium super gaudium: gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium! Quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc, & videbo visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est! Heu me, quam diu dicetur mihi: Vbi est Deus tuus? quam diu dicetur mihi: Expecta, reexpecta. Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne tu, Domine Deus meus? Salvatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Expectamus Dominum, quando revertatur à nuptiis, ut inducat nos ad suas nuptias. Veni Domine, & noli

noli tardare. Veni Domine Iesu Christe, veni, & visita nos in pace. Veni, & educ vinctos de carcere, ut latemur coram te corde perfecto. Veni Salvator noster. Veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam, & salvi erimus. Veni lux mea, redemptor meus, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini sancto tuo.

4. Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, & non exaudis? Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, & adduc me ad portum felicitatis æternæ. Fœlices, qui de periculo maris hujus educti, ad te Deum, portum tutissimum, pervenire meruerunt. O vere fœlices, qui de pelago ad litus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optata jam quiete beati; qui bravium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quasierunt, jam fœlici jucunditate adepti, latantur in perpetuum. O vere beati, ô terque quaterque beati, qui jam omnium malorum exuti, securi de sua immarcescibili gloria, ad regnum decoris, pervenire meruerunt. O æternum regnum, regnum omnium sæculorum; ubi lumen indeficiens, & pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum: In quo sanctorum animæ requiescunt, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

5. O quam gloriosum est regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti, amici lumine sicut vestimento, habentes in
capi-

capite suo coronam de lapide precioso ! O regnum beatitudinis sempiternæ , ubi tu Domine , spes Sanctorum , & diadema gloriæ , facie ad faciem videris à Sanctis , latificans eos undique in pace tua , quæ exsuperat omnem sensum. Ibi gaudium infinitum , lætitia sine tristitia , salus sine dolore , via sine labore , lux sine tenebris , vita sine morte , omne bonum sine omni malo. Vbi iuventus nunquam senescit , ubi vita terminum nescit , ubi decor nunquam pallescit , ubi amor nunquam tepescit , ubi sanitas nunquam marcescit , ubi gaudium nunquam decrescit , ubi dolor nunquam sentitur , ubi gemitus nunquam auditur , ubi triste nihil videtur , ubi lætitia semper habetur , ubi malum nullum timetur , quoniam ibi summum bonum possidetur , quod est videre semper faciem Domini virtutum.

6. Fœlices igitur , qui de naufraga vita præsentis , ad tanta gaudia jam pervenire meruerunt. Infœlices heu nos miseri , qui per hujus maris magni fluctus procellosasque voragine navem trahimus ; ignorantes an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices inquam , quorum vita est in exilio , vita in periculo : finis in dubio , nescientes finem nostrum : quia omnia in futurum reservantur incerta. Adhuc in pelagi fluctibus versamur , suspirantes ad te portum maris. O patria nostra , patria secura , à longe te videmus , ab hoc mari te salutamus , ab hac valle ad te suspiramus , & nitimur cum lachrymis , si quomodo ad te perveniamus.

N

7. Spes

7. Spes humani generis Christe, Deus de Deo, refugium nostrum, & virtus, cujus lumen à longe inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellæ maris radius oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad te portum: Guberna Domine navem nostram tua dextra clavo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum: sed unco crucis retrahe nos ab hoc pelago, ad te solamen unicum nostrum, quem à longe, quasi stellam matutinam & Solem justitiæ, vix lachrymantibus oculis in litore cælestis patriæ nos exspectantem videmus.

8. En ad te clamamus redempti tui; sed & nunc exules tui, quos precioso sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. In mari turbulento versamur. Tu in litore stans, aspicias pericula nostra: salvos nos fac propter nomen tuum. Da nobis Domine inter scyllam & charybdin ita tendere & tenere medium, ut utroque periculo evitato, salva nave & mercibus, securi perveniamus ad portum.

C A P V T XXXVI.

De gloria cælestis patriæ.

1. **C**Vm ergo pervenerimus ad te sapientiæ fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inextinguibilem: ut te non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videamus; tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum: quia nihil erit exterius quod